

Seu vivit, patriæ seu prima ab origine vixit:  
 Unus avos, atavosque omnes virtutibus æquat.  
**P**ar olli Pisauriadum de gente vetusta  
 Virgo nitet Venetas inter celebrata puellas,  
 Quam forma, & blando residet quæ gratia vultu,  
 Mille animi & dotes nulli dant esse secundam.  
 Illustres animas firmo conjungere nexu  
 Jamdudum ætherei decreverat altus olympi  
**R**egnator, genus heroum ut consurgeret inde,  
 Cui nihil a primo mundus par viderit ævo.  
**I**lle quidem teneros animis infudit amores  
 Jampridem, castamque dedit succrescere flammam  
 Paullatim, atque imas sensim penetrare medullas.  
 At vetuit dextræ sponsos conjungere dextram  
 Ante aras, atque optatos celebrare hymenæos.  
 Ante novum hoc patriæ tantum decus, ante Latino  
 Quam civem folio felicia fata locarent,  
 Atque ageret sponsi pater hæc solemnia festa.  
 Namque hæc una dies quam multa domestica menti  
 Suggeret exempla, & stimulos sub pectore condet  
 Egregio juveni! Patriæ (6) quater obtigit idem  
 Tantus honor, triplicemque alii gessere coronam  
 Non nisi bis gemini cives; tres sanguine creti  
 Coraridum, at quarto solium scandente Latinum.  
 Ceu nunc Romulea genitor Legatus in urbe  
 Hos merito civi, & patriæ persolvit honores;  
 Landorum de gente atavus sic tempore eodem  
 Adfuit, & parili celebravit gaudia pompa.  
 Quas animus tanta fœcundus imagine formas  
 Concipiet, serisque effundet ad usque Nepotes!  
**H**æc igitur stabili ut firmet connubia nexu  
 Juppiter, & magnam per sæcula longa nepotum  
 Ordinet ut seriem, ac formandis mentibus olim  
 Sidereo lectos ex æthere præparet ignes,